

Richard CRASHAW

EPIGRAMMATA SACRA

(1219 vers)

Le texte proposé ici est une reprise, par Oxford University Press, de l'édition de 1674 parue chez John Hayes.

I

EPIGRAMMATUM SACRORUM LIBER PRIMUS. PROLOGIUM

(190 vers)

VENERABILI VIRO MAGISTRO TOURNAY, TUTORI SUO SUMME OBSERVANDO.

E1_1 v.1 Messis inauravit Cereri jam quarta capillos,
 2 vitis habet Bacchum quarta corona suae,
 3 nostra ex quo, primis plumae vix alba pruinis,
 4 ausa tuo Musa est nidificare sinu.
 5 Hic nemus, hic soles, et caelum mitius illi :
 6 hic sua quod Musis umbra vel aura dedit.
 7 Sedit ibi secunda malus quid moverit Auster,
 8 quae gravis hibernum vexerit ala Jovem.
 9 Nescio quo interea multum tibi murmure nota est :
 10 nempe sed hoc poteras murmur amare tamen.
 11 Tandem ecce (heu simili de prole puerpera) tandem
 12 hoc tenero tenera est pignore facta parens.
 13 Jamque meam hanc sobolem (rogo) quis sinus alter haberet ?
 14 Quis mihi tam noti nempe teporis erat ?
 15 Sed quoque et ipsa Meus (de te) meus, improba, tutor
 16 (quam primum potuit dicere) dixit, erit.
 17 Has ego legitima, nec laevo sidere natae
 18 non puto degeneres indolis esse notas ;
 19 nempe quod illa suo patri tam semper apertos,
 20 tam semper faciles norit adire sinus.
 21 Ergo tuam tibi sume : tuas eat illa sub alas ;
 22 hoc quoque de nostro, quod tuearis, habe.
 23 Sic quae Suada tuo fontem sibi fecit in ore,
 24 sancto et securo melle perennis eat.

25 Sic tua, sic nullas Siren non mulceat aures,
 26 aula cui plausus et sua sarta dedit.
 27 Sic tuus ille (precor) Tagus aut eat objice nullo,
 28 aut omni (quod adhuc) objice major eat.

ORNATISSIMO VIRO PRAECEPTORI SUO COLENDISSIMO,
 MAGISTRO BROOK.

E1_2 v.1 O mihi qui numquam nomen non dulce fuisti
 2 tunc quoque cum domini fronte timendus eras !
 3 Ille ego pars vestri quondam intactissima regni,
 4 de nullo virgae nota labore tuae,
 5 do tibi quod de te per saecula longa queretur
 6 quod de me nimium non metuendus eras :
 7 quod tibi turpis ego torpentis inertia sceptri
 8 tam ferulae tulerim mitia jura tuae.
 9 Scilicet in foliis quicquid peccabitur istis,
 10 quod tua virga statim vapulet, illud erit.
 11 Ergo tibi hac poenas pro me mea pagina pendat.
 12 Hic agitur virgae res tibi multa tuae.
 13 In me igitur quicquid nimis illa pepercerit olim,
 14 id licet in foetu vindicet omne meo.
 15 Hic tuus inveniet satis in quo saeviat unguis,
 16 quidque veru docto trans obeliscus eat.
 17 Scilicet haec mea sunt, haec quae mala scilicet : o si
 18 (quae tua nempe forent) hic meliora forent !
 19 Qualiicumque, suum norunt haec flumina fontem.
 20 (Nilus ab ignoto fonte superbus eat)
 21 nec certe nihil est qua quis sit origine. Fontes
 22 esse solent fluvii nomen honorque sui.
 23 Hic quoque tam parvus (de me mea saecula dicant)
 24 non parvi soboles hic quoque fontis erat.
 25 Hoc modo et ipse velis de me dixisse, meorum
 26 ille fuit minimus. Sed fuit ille meus.

LECTORI.

E1_3 v.1 Salve. Jamque vale. Quid enim quis pergeret ultra ?
 2 Qua jocus et lusus non vocat, ire voles ?
 3 Scilicet hic, Lector, cur noster habebere, non est,
 4 deliciis folio non faciente tuis.
 5 Nam nec Acidalios halat mihi pagina rores,
 6 nostra Cupidineae nec favet aura faci.
 7 Frustra hinc ille suis quicquam promiserit alis :
 8 frustra hinc illa novo speret abire sinu.
 9 Ille e materna melius sibi talia myrto ;
 10 illa jugis melius poscat ab Idaliis.
 11 Quaerat ibi suus in quo caespate surgat Adonis,
 12 quae melior teneris patria sit violis.
 13 Illinc totius Florae, verisque, suique
 14 consilio, ille alas impleat, illa sinus.
 15 Me mea (casta tamen, si sit rudis) herba coronet
 16 me mea (si rudis est, sit rudis) herba juvat.
 17 Nulla meo Circaea tument tibi pocula versu :
 18 dulcia, et in furias officiosa tuas.
 19 Nulla latet Lethe, quam fraus tibi florea libat,

20 quam rosa sub falsis dat male fida genis.
 21 Nulla verecundum mentitur mella venenum :
 22 captat ab insidiis linea nulla suis.
 23 Et spleni, et jecori foliis bene parcitur istis.
 24 Ah male cum rebus staret utrumque meis.
 25 Rara est quae ridet ; nulla est quae pagina prurit
 26 nulla salax, si quid norit habere salis.
 27 Non nudae Veneres : nec, si jocus, udus habetur :
 28 non nimium Bacchus noster Apollo fuit.
 29 Nil cui quis putri sit detorquendus oculo ;
 30 est nihil obliquo quod velit ore legi.
 31 Haec coram, atque oculis legeret Lucretia justis :
 32 iret et illaesis hinc pudor ipse genis.
 33 Nam neque candidior voti venit aura pudici
 34 de matutina virgine thura ferens :
 35 cum vestis nive vincta sinus, nive tempora fulgens,
 36 dans nive flammeolis frigida jura comis,
 37 relligiosa pedum sensim vestigia librans,
 38 ante aras tandem constitit ; et tremuit.
 39 Nec gravis ipsa suo sub numine castior halat
 40 quae pia non puras summovet ara manus.
 41 Tam Venus in nostro non est nimis aurea versu :
 42 tam non sunt pueri tela timenda dei.
 43 Saepe puer dubias circum me moverat alas ;
 44 jecit et incertas nostra sub ora faces.
 45 Saepe vel ipse sua calamum mihi blandus ab ala,
 46 vel matris cygno de meliore dedit.
 47 Saepe Dionaeae pactus mihi sarta coronae ;
 48 saepe, Meus vates tu, mihi dixit, eris.
 49 I procul, i cum matre tua, puer improbe, dixi :
 50 non tibi cum numeris res erit ulla meis.
 51 Tu Veronensi cum passere pulchrior ibis.
 52 Bilbilicisve queas comptius esse modis.
 53 Ille tuos finget quocumque sub agmine crines :
 54 undique nequitiis par erit ille tuis.
 55 Ille nimis (dixi) patet in tua proelia campus :
 56 heu nimis est vates et nimis ille tuus.
 57 Gleba illa (ah tua quam tamen urit adultera messis)
 58 esset Idumaeo germine quanta parens !
 59 Quantus ibi et quantae premeret Puer ubera Matris !
 60 Nec caelos vultu dissimulante suos.
 61 Ejus in isto oculi satis essent sidera versu ;
 62 sidereo matris quam bene tuta sinu !
 63 Matris ut hic similes in collum mitteret ulnas,
 64 inque, sinus niveos pergeret, ore pari !
 65 Utque genis pueri haec aequis daret oscula labris !
 66 Et bene cognatis iret in ora rosis !
 67 Qua Mariae tam larga meat, quam disceret illic
 68 uvida sub pretio gemma tumere suo !
 69 Staret ibi ante suum lacrimatrix Diva Magistrum :
 70 seu levis aura volet, seu gravis unda cadat ;
 71 luminis haec soboles, et proles pyxidis illa,
 72 pulchrius unda cadat, suavius aura volet.
 73 Quicquid in his sordet demum, luceret in illis.
 74 Improbe, nec satis est hunc tamen esse tuum ?
 75 Improbe cede puer : quid enim mea carmina mulces ?
 76 Carmina de jaculis muta futura tuis.
 77 Cede puer, qua te petulantis frena puellae ;

78 turpia qua revocant pensa procacis herae ;
79 qua miseri male pulchra nitent mendacia limi ;
80 qua cerussatae, furta decora, genae ;
81 qua mirere rosas, alieni sidera veris ;
82 quas nivis haud propria bruma redempta domat.
83 Cede puer (dixi, et dico) cede improba mater :
84 altera Cypris habet nos ; habet alter Amor.
85 Scilicet hic Amor est. Hic est quoque mater Amoris.
86 Sed mater virgo. Sed neque caecus Amor.
87 O puer ! O Domine ! O magnae reverentia matris !
88 Alme tui stupor et relligio gremii !
89 O amor, innocuae cui sunt pia jura pharetrae ;
90 nec nisi de casto corde sagitta calens !
91 Me, puer, o certa, quem figis, fige sagitta.
92 O tua de me sit facta pharetra levis.
93 Quodque illinc sitit et bibit, et bibit et sitit usque ;
94 usque meum sitiatur pectus, et usque bibat.
95 Fige, puer, corda haec. Seu spinis exiguus quis,
96 seu clavi aut hastae cuspidem magnus ades ;
97 seu major cruce cum tota ; seu maximus ipso
98 te corda haec figis denique. Fige puer.
99 O metam hanc tuus aeternum inclamaverit arcus :
100 stridat in hanc teli densior aura tui.
101 Tibi si jaculum ferat ala ferocior ullum,
102 hanc habeat triti vulneris ire viam.
103 Quique tuae populus cumque est, quae turba, pharetrae ;
104 hic bene vulnificas nidus habebit aves.
105 O mihi sis bello semper tam saevus in isto !
106 Pectus in hoc numquam mitior hostis eas.
107 Quippe ego quam jaceam pugna bene sparsus in illa !
108 Quam bene sic lacero pectore sanus ero !
109 Haec mea vota. Mei sunt haec quoque vota libelli.
110 Haec tua sint Lector ; si meus esse voles.
111 Si meus esse voles ; meus ut sis, lumina (Lector)
112 casta, sed o nimium non tibi sicca precor.
113 Nam tibi fac madidis meus ille occurrerit alis,
114 (sanguine, seu lacrima diffluat ille sua :)
115 stipite totus hians, clavisque reclusus et hasta :
116 Fons tuus in fluvios desidiosus erit ?
117 Si tibi sanguineo meus hic tener iverit amne,
118 Tunc tuas illi, dure, negabis aquas ?
119 Ah durus ! Quicumque meos, nisi siccus, amores
120 nolit ; et hic lacrimae rem neget esse suae.
121 Saepe hic Magdalinas vel aquas vel amaverit undas ;
122 credo nec Assyrias mens tua malit opes.
123 Scilicet ille tuos ignis recalescet ad ignes ;
124 forsitan et illa tuis unda natabit aquis.
125 Hic eris ad cunas, et odoros funere manes :
126 hinc ignes nasci testis et inde meos.
127 Hic mecum, et cum matre sua, mea gaudia quaeres :
128 maturus Procerum seu stupor esse velit ;
129 sive per antra sui lateat (tunc templa) sepulchri :
130 tertia lux reducem (lenta sed illa) dabit.
131 Sint fidae precor ah (dices) facilesque tenebrae ;
132 lux mea dum noctis (res nova !) poscit opem.
133 Denique charta meo quicquid mea dicat amori,
134 illi quo metuatur cumque, fleatve, modo,
135 laeta parum (dices) haec, sed neque dulcia non sunt :

136 certi et amor (dices) hujus amandus erat.

II

EPIGRAMMATUM SACRORUM LIBER SECUNDUS.

(1029 vers)

LUC. 18. PHARISAEUS ET PUBLICANUS.

E2_1 v.1 En duo Templum adeunt (diversis mentibus ambo :)
 2 Ille procul trepido lumine signat humum :
 3 it gravis hic, et in alta ferox penetralia tendit.
 4 Plus habet hic templi ; plus habet ille Dei.

MATTH. 21. 7. IN ASINUM CHRISTI VECTOREM.

E2_2 v.1 Ille suum didicit quondam objurgare magistrum :
 2 et quid ni discas tu celebrare tuum ?
 3 Mirum non minus est, te jam potuisse tacere,
 4 illum quam fuerat tum potuisse loqui.

LUC. 4. DOMINUS APUD SUOS VILIS.

E2_3 v.1 En consanguinei ! Patriis en exsul in oris
 2 Christus ! Et haud alibi tam peregrinus erat.
 3 Qui socio demum pendebat sanguine latro,
 4 o consanguineus quam fuit ille magis !

JOANN. 5. AD BETHESDAE PISCINAM POSITUS.

E2_4 v.1 Quis novus hic refugis incumbit Tantalus undis,
 2 quem fallit toties tam fugitiva salus ?
 3 Unde hoc naufragium felix ? Medicaeque procellae ?
 4 Vitaque, tempestas quam pretiosa dedit ?

JOANN. 20. CHRISTUS AD THOMAM.

E2_5 v.1 Saeva fides ! Voluisse meos tractare dolores ?
 2 Crudeles digiti ! Sic didicisse Deum ?
 3 Vulnera, ne dubites, vis tangere nostra : sed eheu,
 4 vulnera, dum dubitas, tu graviora facis.

MATTH. 16. 25. QUISQUIS PERDIDERIT ANIMAM SUAM MEI CAUSA, INVENIET EAM.

E2_6 v.1 I vita ; i, perdam : mihi mors tua, Christe, reperta est :
 2 (mors tua vita mihi est ; mors tibi, vita mea)
 3 aut ego te abscondam Christi (mea Vita) sepulchro.
 4 Non adeo procul est tertius ille dies.

JOANN. 20. 1. PRIMO MANE VENIT AD SEPULCHRUM MAGDALENA.

E2_7 v.1 Tu matutinos praevertis, sancta, rubores,
 2 Magdala ; sed jam tum Sol tuus ortus erat.
 3 Jamque vetus merito vanos Sol non agit ortus,
 4 et tanti radios non putat esse suos.
 5 Quippe aliquo (reor) ille, novus, jam nictat in astro,
 6 et se nocturna parvus habet facula.
 7 Quam velit o tantae vel nuntius esse diei !
 8 Atque novus Soli Lucifer ire novo !

JOANN. 6. QUINQUE PANES AD QUINQUE HOMINUM MILLIA.

E2_8 v.1 En mensae faciles, redivivaque vulnera cenae,
 2 quaeque indefessa provocat ora dape !
 3 Aucta Ceres stupet arcana se crescere messe.
 4 Denique quid restat ? Pascitur ipse cibus.

ACT. 8. ETHIOPS LOTUS.

E2_9 v.1 Ille niger sacris exit (quam lautus !) Ab undis :
 2 nec frustra Aethiopem nempe lavare fuit.
 3 Mentem quam niveam piceae cutis umbra fovebit !
 4 Jam volet et nigros sancta Columba lares.

LUC. 18. 13. PUBLICANUS PROCUL STANS PERCUTIEBAT PECTUS SUUM.

E2_10 v.1 Ecce hic peccator timidus petit advena templum ;
 2 quidque audet solum, pectora maesta ferit.
 3 Fide miser ; pulsaque fores has fortiter : illo
 4 invenies templo tu propiore Deum.

MARC. 12. 44. OBOLUM VIDUAE.

E2_11 v.1 Gutta brevis nummi (vitae patrona senilis)
 2 e digitis stillat non dubitantis anus :
 3 istis multa vagi spumant de gurgite census.
 4 Isti abjecerunt scilicet ; Illa dedit.

LUC. 10. 39. MARIA VERO ASSIDENS AD PEDES EJUS, AUDIEBAT EUM.

E2_12 v.1 Aspice (namque novum est) ut ab hospite pendeat hospes !
 2 Huic ori parat ; hoc sumit ab ore cibos.
 3 "Tunc epulis adeo es (soror) officiosa juvandis,
 4 et sinis has (inquit) Martha, perire dapes ? "

ACT. 2. IN SPIRITUS SANCTI DESCENSUM.

E2_13 v.1 Ferte sinus, o ferte : cadit vindemia caeli ;
 2 sanctaque ab aethereis volvitur uva jugis.
 3 Felices nimium, queis tam bona musta bibuntur ;
 4 in quorum gremium lucida pergit hiems !
 5 En caput ! En ut nectareo micat et micat astro !
 6 Gaudet et in roseis viva corona comis !
 7 Illis (o Superi ! Quis sic neget ebrius esse ?)
 8 Illis, ne titubent, dant sua vina faces.

LUC. 15. 13. CONGESTIS OMNIBUS PEREGRE PROFECTUS EST.

E2_14 v.1 Dic mihi, quo tantos properas, puer auree, nummos ?
 2 Quorsum festinae conglomerantur opes ?
 3 Cur tibi tota vagos ructant patrimonia census ?
 4 Non poterunt siliquae nempe minoris emi ?

LUC. 21. 13. NON SOLUM VINCIRI SED ET MORI PARATUS SUM.

E2_15 v.1 "Non modo vincla, sed et mortem tibi, Christe, subibo",
 2 Paulus ait, docti callidus arte doli.
 3 Diceret hoc aliter : tibi non modo velle ligari,
 4 Christe, sed et solvi nempe paratus ero.

ACT. 12. 23. IN HERODEM 'SKOLEKOBROTON.'

E2_16 v.1 Ille Deus, Deus : haec populi vox unica : tantum
 2 (vile genus) vermes credere velle negant.
 3 At cito se miseri, cito nunc errasse fatentur ;
 4 carnes degustant, Ambrosiamque putant.

MATTH. 14. VIDENS VENTUM MAGNUM, TIMUIT, ET COEPISSET DEMERGI...

E2_17 v.1 Petre, cades, o si dubitas, o fide : nec ipsum
 2 (Petre) negat fidis aequor habere fidem.
 3 Pondere pressa suo subsidunt cetera : solum
 4 (Petre) tuae mergit te levitatis onus.

ACT. 8. 18. OBTULIT EIS PECUNIAS.

E2_18 v.1 Quorsum hos hic nummos profers ? Quorsum, impie Simon ?
 2 Non ille hic Judas, sed tibi Petrus adest.

3 Vis emisse Deum ? Potius (precor) hoc age, Simon,
4 si potes, ipse prius daemona vende tuum.

ACT. 5. 15. UMBRA S. PETRI MEDETUR AEGROTIS.

E2_19 v.1 Conveniunt alacres (sic, sic juvat ire sub umbras)
2 atque umbras fieri (creditus ?) Umbra vetat.
3 O Petri umbra potens ! Quae non miracula praestat ?
4 Nunc quoque, Papa, tuum sustinet illa decus.

MARC.7. 33, 36. TETIGIT LINGUAM EJUS, .. LOQUEBATUR ...

E2_20 v.1 Christe, jubes muta ora loqui ; muta ora loquuntur :
2 sana tacere jubes ora ; nec illa tacent.
3 Si digito tunc usus eras, muta ora resolvens ;
4 nonne opus est tota nunc tibi, Christe, manu ?

LUC. 10. 32. SACERDOS QUIDAM DESCENDENS EADEM VIA, VIDIT ET PRAETERIIT.

E2_21 v.1 Spectasne (ah !) placidisque oculis mea vulnera tractas ?
2 O dolor ! O nostris vulnera vulneribus !
3 Pax oris quam torva tui est ! Quam triste serenum !
4 Tranquillus miserum qui videt, ipse facit.

LUC. 17. LEPROSI INGRATI.

E2_22 v.1 Dum linquunt Christum (ah morbus !) Sanantur euntes :
2 ipse etiam morbus sic medicina fuit.
3 At sani Christum (mens ah malesana !) relinquunt :
4 ipsa etiam morbus sic medicina fuit.

MATTH. 6. 34. NE SOLICITI ESTOTE IN CRASTINUM.

E2_23 v.1 I miser, inque tuas rape non tua tempora curas :
2 et nondum natis perge perire malis.
3 Mi querulis satis una dies, satis angitur horis :
4 una dies lacrimis mi satis uda suis.
5 Non mihi venturos vacat expectare dolores :
6 nolo ego, nolo hodie crastinus esse miser.

MATTH. 9. 9. A TELONIO MATTHAEUS.

E2_24 v.1 Ah satis, ah nimis est : noli ultra ferre magistrum,
2 et lucro domino turpia colla dare.
3 Jam fuge ; jam (Matthaeae) feri fuge regna tyranni :
4 inque bonam felix i fugitive crucem.

LUC. 7. VIDUAE FILIUS E FERETRO MATRI REDDITUR.

E2_25 v.1 En redeunt, lacrimasque breves nova gaudia pensant :
2 bisque illa est, uno in pignore, facta parens.

3 Felix, quae magis es nati per funera mater !
4 Amisisse, iterum cui peperisse fuit.

MATTH. 18. BONUM INTRARE IN CAELOS CUM UNO OCULO, ETC.

E2_26 v.1 Uno oculo ? Ah centum potius mihi, millia centum :
2 nam quis ibi, in caelo, quis satis Argus erit ?
3 Aut si oculus mihi tantum unus conceditur, unus
4 iste oculus fiam totus et omnis ego.

LUC, 14. HYDROPICUS SANATUR.

E2_27 v.1 Ipse suum pelagus, morboque immersus aquoso
2 qui fuit, ut laetus nunc micat atque levis !
3 Quippe in vina iterum Christus (puto) transtulit undas ;
4 et nunc iste suis ebrius est ab aquis.

LUC. 2. 7. NON ERAT IIS IN DIVERSORIO LOCUS.

E2_28 v.1 Illi non locus est ? Illum ergo pellitis ? Illum ?
2 Ille Deus, quem sic pellitis ; ille Deus.
3 O furor ! humani miracula saeva furoris !
4 Illi non locus est, quo sine nec locus est.

LUC. 16. IN LACRIMAS LAZARI SPRETAS A DIVITE.

E2_29 v.1 Felix o ! lacrimis (o Lazare) ditior istis,
2 quam qui purpureas it gravis inter opes !
3 Illum cum rutili nova purpura vestiet ignis,
4 ille tuas lacrimas quam volet esse suas !

MATTH. 26. 65. INDIGNATUR CAIPHAS CHRISTO SE CONFITENTI.

E2_30 v.1 Tu Christum, Christum quod non negat esse, laccessis ;
2 ipsius hoc crimen, quod fuit ipse, fuit.
3 Tene Sacerdotem credam ? Novus ille Sacerdos,
4 per quem impune Deo non licet esse Deum.

JOANN. 12. 37. CUM TOT SIGNA EDIDISSET, NON CREDEBANT IN EUM.

E2_31 v.1 Non tibi, Christe, fidem tua tot miracula praestant :
2 (o verbi, o dextra dulcia regna tuae !)
3 Non praestant ? Neque te post tot miracula credunt ?
4 Miraclum, qui non credidit, ipse fuit.

MARC, I. 16. AD S. ANDREAM PISCATOREM.

E2_32 v.1 Quippe potes pulchre captare et fallere pisces !
2 Centum illic discis lubricus ire dolis.
3 Heus bone piscator ! Tendit sua retia Christus :
4 artem invertite, et jam tu quoque disce capi.

JOANN. I. 23. EGO SUM VOX, ETC.

E2_33 v.1 Vox ego sum, dicis : tu vox es, sancte Joannes ?
 2 Si vox es, genitor cur tibi mutus erat ?
 3 Ista tui fuerant quam mira silentia patris !
 4 Vocem non habuit tunc quoque cum genuit.

ACT. 12. VINCULA SPONTE DECIDUNT.

E2_34 v.1 Qui ferro Petrum cumulas, durissime custos,
 2 a ferro disces mollior esse tuo.
 3 Ecce fluit, nodisque suis evolvitur ultro :
 4 i fatue, et vinclis vincula pone tuis.

IN DIEM OMNIUM SANCTORUM. REV. 7.3. NE LAEDITE TERRAM, NEQUE MARE, ...

E2_35 v.1 Nusquam immitis agat ventus sua murmura ; nusquam
 2 silva tremat, crispis sollicitata comis.
 3 Aequa Thetis placide allabens ferat oscula Terrae ;
 4 Terra suos Thetidi pandat amica sinus :
 5 undique Pax effusa piis volet aurea pennis,
 6 frons bona dum signo est quaeque notata suo.
 7 Ah quid in hoc opus est signis aliunde petendis ?
 8 Frons bona sat lacrimis quaeque notata suis.

IN DIE CONJURATIONIS SULPHUREA.

E2_36 v.1 Quam bene dispositis annus dat currere festis !
 2 Post omnes Sanctos, omne scelus sequitur.

DEUS SUB UTERO VIRGINIS.

E2_37 v.1 Ecce tuus, Natura, pater ! Pater hic tuus, hic est :
 2 ille, uterus matris quem tenet, ille pater.
 3 Pellibus exiguis artatur Filius ingens,
 4 quem tu non totum (crede) nec ipsa capis.
 5 Quanta uteri, Regina, tui reverentia tecum est,
 6 dum jacet hic, caelo sub brevior, Deus !
 7 Conscia divino gliscunt praecordia motu
 8 (nec vehit aethereos sanctior aura polos)
 9 quam bene sub tecto tibi concipiuntur eodem
 10 cota, et (cota cui concipienda) Deus !
 11 Quod nubes alia, et tanti super atria caeli
 12 quaerunt, invenient hoc tua vota domi.
 13 O felix anima haec, quae tam sua gaudia tangit !
 14 Sub conclave suo cui suus ignis adest.
 15 Corpus amet (licet) illa suum, neque sidera malit :
 16 quod vinclum est aliis, hoc habet illa domum.
 17 Sola jaces, neque sola ; toro quocumque recumbis,
 18 illo estis positi tuque tuusque toro.
 19 Immo ubi casta tuo posita es cum conjugue conjunx,
 20 (quod mirum magis est) es tuus ipsa torus.

ACT. 7. 16. AD JUDAEOS MACTATORES STEPHANI.

E2_38 v.1 Frustra illum increpitant, frustra vaga saxa : nec illi
 2 grandinis (heu saevae !) dura procella nocet.
 3 Ista potest tolerare ; potest nescire : sed illi,
 4 qua sunt in vestro pectore, saxa nocent.

REV. 1.9. D. JOANNES IN EXILIO.

E2_39 v.1 Exul, Amor Christi est : Christum tamen invenit exsul :
 2 et solitos illic invenit ille sinus.
 3 Ah longo, aeterno ah terras indicite nobis
 4 exilio, Christi si sinus exilium est.

MATTH. 2. AD INFANTES MARTYRES.

E2_40 v.1 Fundite ridentes animas ; effundite caelo :
 2 discet ibi vestra (o quam bene !) Lingua loqui.
 3 Nec vos lac vestrum et maternos quaerite fontes :
 4 quae vos exspectat lactea tota via est.

LUC. 2. QUAERIT JESUM SUUM BEATA VIRGO.

E2_41 v.1 Ah, redeas miserae, redeas (puer alme) parenti ;
 2 ah, neque te caelis tam cito redde tuis.
 3 Caelum nostra tuum fuerint o brachia, si te
 4 nostra suum poterunt brachia ferre Deum.

MATTH. 8. NON SUM DIGNUS UT SUB TECTA MEA VENIAS.

E2_42 v.1 In tua tecta Deus veniet : tuus haud sinit illud
 2 et pudor, atque humili in pectore celsa fides.
 3 Illum ergo accipies quoniam non accipis : ergo
 4 in te jam veniet, non tua tecta, Deus.

MATTH. 27. 12. CHRISTUS ACCUSATUS NIHIL RESPONDIT.

E2_43 v.1 Nil ait : o sanctae pretiosa silentia linguae !
 2 Ponderis o quanti res nihil illud erat !
 3 Ille olim, verbum qui dixit, et omnia fecit.
 4 Verbum non dicens omnia nunc reficit.

LUC. 2. NUNC DIMITTIS.

E2_44 v.1 Spesne meas tandem ergo mei tenure lacerti ?
 2 Ergo bibunt oculos lumina nostra tuos ?
 3 Ergo bibant ; possintque novam sperare juventam :
 4 o possint senii non meminisse sui !
 5 Immo mihi potius mitem mors induat umbram
 6 (esse sub his oculis si tamen umbra potest)

7 ah satis est. Ego te vidi (puer auree) vidi :
8 nil post te, nisi te (Christe) videre volo.

LUC. 8. VERBUM INTER SPINAS.

E2_45 v.1 Saepe Dei verbum sentes cadit inter ; et atrum
 2 miscet spina procax (ah male juncta !) laterus.
 3 Credo quidem : nam sic spinas ah scilicet inter
 4 ipse Deus Verbum tu quoque (Christe) cadis.

LUC. 14. 5. SABBATUM JUDAICUM, ET CHRISTIANUM.

E2_46 v.1 Res eadem vario quantum distinguitur usu !
 2 Nostra hominem servant sabbata ; vestra bovem.
 3 Observent igitur pacto quid justius isto ?
 4 Sabbata nostra homines, sabbata vestra boves.

MARC. 10. 52. AD VERBUM DEI SANATUR CAECUS.

E2_47 v.1 Christe, loquutus eras (o sacra licentia verbi !)
 2 jamque novus caeci fluxit in ora dies.
 3 Jam, credo, nemo est, sicut Tu, Christe, loquutus :
 4 auribus ? Immo oculis, Christe, loquutus eras.

MATTH, II. ONUS MEUM LEVE EST.

E2_48 v.1 Esse levis quicumque voles, onus accipe Christi :
 2 ala tuis humeris, non onus, illud erit.
 3 Christi onus an quaeris quem sit grave ? Scilicet, audi,
 4 tam grave, ut ad summos te premat usque polos.

JOANN .6. MIRACULUM QUINQUE PANUM.

E2_49 v.1 Ecce vagi venit unda cibi ; venit indole sacra
 2 fortis, et in dentes fertilis innumeros.
 3 Quando erat invictae tam sancta licentia cenae ?
 4 Illa famem populi pascit, et illa fidem.

JOANN. 8. 52. NUNC SCIMUS TE HABERE DAEMONIUM.

E2_50 v.1 Aut Deus, aut saltem daemon tibi notior esset,
 2 (gens mala) quae dicis daemona habere Deum.
 3 Ignorasse Deum poteras, o caeca : sed oro,
 4 et patrem poteras tam male nosse tuum ?

IN BEATAE VIRGINIS VERECUNDIAM.

E2_51 v.1 In gremio, quaeris, cur sic sua lumina Virgo
 2 ponat ? Ubi melius poneret illa, precor ?
 3 O ubi, quam caelo, melius sua lumina ponat ?
 4 Despicit, at caelum sic tamen illa videt.

IN VULNERA DEI PENDENTIS.

E2_52 v.1 O frontis, lateris, manuumque pedumque cruores !
 2 O quae purpureo flumina fonte patent !
 3 In nostram (ut quondam) pes non valet ire salutem,
 4 sed natat ; in fluviis (ah !) Natat ille suis.
 5 Fixa manus ; dat, fixa : pios bona dextera rores
 6 donat, et in donum solvitur ipsa suum.
 7 O latus, o torrens ! Quis enim torrentior exit
 8 Nilus, ubi pronis praecipitatur aquis ?
 9 Mille et mille simul cadit et cadit undique guttis
 10 frons : viden ut saevus purpuret ora pudor ?
 11 Spinae hoc irrigua florent crudeliter imbre,
 12 inque novas sperant protinus ire rosas.
 13 Quisque capillus it exiguo tener alveus amne,
 14 hoc quasi de rubro rivulus oceano.
 15 O nimium vivse pretiosis amnibus undae !
 16 Fons vitae numquam verior ille fuit.

MATTH. 9, 11. QUARE CUM PUBLICANIS MANDUCAT MAGISTER VESTER ?

E2_53 v.1 Ergo istis socium se peccatoribus addit ?
 2 Ergo istis sacrum non negat ille latus ?
 3 Tu, Pharisae, rogas Jesus cur fecerit istud ?
 4 Nae dicam : Jesus, non Pharisaeus, erat.

MATTH. 28. ECCE LOCUS UBI JACUIT DOMINUS.

E2_54 v.1 Ipsum, Ipsum (precor) o potius mihi (candide) monstra :
 2 Ipsi, Ipsi, o lacrimis oro sit ire meis.
 3 Si monstrare locum satis est, et dicere nobis,
 4 en, Maria, hic tuus en, hic jacuit Dominus ;
 5 ipsa ulnas monstrare meas, et dicere possum,
 6 en, Maria, hic tuus en, hic jacuit Dominus.

LUC. 17. LEPROSI INGRATI.

E2_55 v.1 Lex jubet ex hominum coetu procul ire leprosos :
 2 at mundi a Christo cur abiere procul ?
 3 Non abit, at sedes tantum mutavit in illis ;
 4 et lepra, quae fuerat corpore, mente sedet.
 5 Sic igitur digna vice res variatur ; et a se
 6 quam procul ante homines, nunc habuere Deum.

JOANN.20. IN CICATRICES QUAS CHRISTUS HABET IN SE ADHUC SUPERSTITES.

E2_56 v.1 Quicquid spina procax, vel stylo clavus acuto,
 2 quicquid purpurea scripserat hasta nota,
 3 vivit adhuc tecum ; sed jam tua vulnera non sunt :
 4 non, sed vulneribus sunt medicina meis.

ACT. 5. AEGER IMPLORAT UMBRAM D. PETRI.

E2_57 v.1 Petre, tua lateam paulisper (Petre) sub umbra :
 2 sic mea me quaerent fata, nec invenient.
 3 Umbra dabit tua posse meum me cernere solem ;
 4 et mea lux umbrae sic erit umbra tuae.

LUC. 24. 39. QUID TURBATI ESTIS ? VIDETE MANUS MEAS ET PEDES ...

E2_58 v.1 En me, et signa mei, quondam mea vulnera ! Certe,
 2 vos nisi credetis, vulnera sunt et adhuc.
 3 O nunc ergo fidem sanent mea vulnera vestram :
 4 o mea nunc sanet vulnera vestra fides.

ACT. I2. IN VINCULA PETRO SPONTE DELAPSA, ET APERTAS FORES.

E2_59 v.1 Ferri non meminit ferrum : se vincula Petro
 2 dissimulant : nescit carcer habere fores.
 3 Quam bene liber erit, carcer quem liberat ! Ipsa
 4 vincula quem solvunt, quam bene tutus erit !

ACT. I9. I2. DEFEREBANTUR A CORPORE EJUS SUDARIA, ETC.

E2_60 v.1 Imperiosa premunt morbos, et ferrea fati
 2 jura ligant, Pauli linthea tacta manu.
 3 Unde haec felicis laus est et gloria lini ?
 4 Haec (reor) e Lachesis pensa fuere colo.

JOANN. 15. CHRISTUS VITIS AD VINITOREM PATREM.

E2_61 v.1 En serpit tua, purpureo tua palmite vitis
 2 serpit, et (ah !) spretis it per humum foliis.
 3 Tu viti succurre tua, mi Vinitor ingens :
 4 da fulcrum ; fulcrum da mihi : quale ? Crucem.

ACT. 26. 28. PAENE PERSUADES MIHI UT FIAM CHRISTIANUS.

E2_62 v.1 Paene ? Quid, hoc paene est ? Vicinia saeva salutis !
 2 O quam tu malus es proximitate boni !
 3 Ah ! Portu qui teste perit, bis naufragus ille est ;
 4 hunc non tam pelagus, quam sua terra premit.
 5 Quae nobis spes vix absunt, crudelius absunt :
 6 paene fui felix. Emphasis est miseri.

JOANN. 3. 19. LUX VENIT IN MUNDUM, SED DILEXERUNT HOMINES MAGIS ...

E2_63 v.1 Luce sua venit ecce Deus, mundoque refulget ;
 2 pergit adhuc tenebras mundus amare suas.
 3 At Stygiis igitur mundus damnabitur umbris :
 4 pergit adhuc tenebras mundus amare suas ?

LUC. I 6. DIVES IMPLORAT GUTTAM.

E2_64 v.1 O mihi si digito tremat et tremat unica summo
 2 gutta ! O si flammam mulceat una meas !
 3 Currat opum quocumque volet levis unda mearum :
 4 una mihi haec detur gemmula, Dives ero.

JOANN. 3. 4. QUOMODO POTEST HOMO GIGNI QUI EST SENEX ?

E2_65 v.1 Dic, Phoenix unde in nitidos novus emicat annos ;
 2 plaudit et elusos aurea penna rogos ?
 3 Quis colubrum dolus insinuat per saecula retro,
 4 et jubet emeritum luxuriare latus ?
 5 Cur rostro pereunte suam praedata senectam
 6 torva ales, rapido plus legit ore diem ?
 7 Immo, sed ad nixus quae stat Lucina secundos ?
 8 Natales seros unde senex habeat.
 9 Ignoras, Pharisaeae ? Sat est : jam credere disces :
 10 dimidium fidei, qui bene nescit, habet.

MARC. II. I3. ARBOR CHRISTI JUSSU ARESCENS.

E2_66 v.1 Ille jubet : procul ite mei, mea gloria, rami,
 2 nulla vocet nostras amplius aura comas.
 3 Ite ; nec o pigeat : nam vos neque fulminis ira,
 4 nec trucis ala Noti verberat : Ille jubet.
 5 O vox ! O Zephyro vel sic quoque dulcior omni !
 6 Non possum Autumno nobiliore frui.

LUC. I. I8. ZACHARIAS MINUS CREDENS.

E2_67 v.1 Infantis fore te patrem, res mira videtur ;
 2 infans interea factus es ipse pater.
 3 Et dum promissi signum (nimis anxie) quaeris,
 4 jam nisi per signum quaerere nulla potes.

JOANN. 3. IN AQUAM BAPTISMI DOMINICI.

E2_68 v.1 Felix o, sacros cui sic licet ire per artus !
 2 Felix ! Dum lavat hunc, ipsa lavatur aqua.
 3 Gutta quidem sacros quacumque perambulat artus,
 4 dum manet hic, gemma est ; dum cadit hinc, lacrima.

LUC.13.II. MULIERI INCURVATAE MEDETUR DOMINUS, INDIGNANTE ARCHISYNAGOGO.

E2_69 v.1 In proprios replicata sinus quae repserat, et jam
 2 Daemonis (infelix !) nil nisi nodus erat,
 3 solvitur ad digitum Domini ; sed strictior illo
 4 unicus est nodus ; cor, Pharisaeae, tuum.

MATHH. 22.46. NEQUE AUSUS FUIT QUISQUAM EX ILLO DIE EUM AMPLIUS...

E2_70 v.1 Christe, malas fraudes, Pharisaica retia, fallis :
 2 et miseros sacro discutis ore dolos.
 3 Ergo tacent tandem, atque invita silentia servant :
 4 tam bene non aliter te potuere loqui.

MATHH. 20. 20. S. JOANNES MATRI SUAE.

E2_71 v.1 O mihi cur dextram, mater, cur, oro, sinistram
 2 poscis, ab officio mater iniqua tuo ?
 3 Nolo manum Christi dextram mihi, nolo sinistram :
 4 tam procul a sacro non libet esse sinu.

MATHH.4. SI FILIUS DEI ES, DEJICE TE.

E2_72 v.1 Ni se dejiciat Christus de vertice Templi,
 2 non credes quod sit Filius ille Dei.
 3 At mox te humano de pectore dejicit : heus tu,
 4 non credes quod sit Filius ille Dei ?

LUC. 19. 41. DOMINUS FLENS AD JUDAEOS.

E2_73 v.1 Discite vos miseri, venientes discite flammam ;
 2 nec facite o lacrimas sic periisse meas.
 3 Nec periisse tamen poterunt, mihi credite, vestras
 4 vel reprimet flammam haec aqua, vel faciet.

LUC. 18. II. NEC VELUT HIC PUBLICANUS.

E2_74 v.1 Istum ? Vile caput ! Quantum mihi gratulor, inquis,
 2 istum quod novi tam mihi dissimilem !
 3 Vilis at iste abiit sacris acceptior aris :
 4 i nunc, et jactes hunc tibi dissimilem.

ACT. 9. 3. IN SAULUM FULGORE NIMIO EXCAECATUM.

E2_75 v.1 Quae lucis tenebrae ? Quae nox est ista diei ?
 2 Nox nova, quam nimii luminis umbra facit !
 3 An Saulus fuerit caecus, vix dicere possum ;
 4 hoc scio, quod captus lumine Saulus erat.

LUC. IO. 23. BEATI OCULI QUI VIDENT.

E2_76 v.1 Cum Christus nostris ibat mitissimus oris,
 2 atque novum caecos jussit habere diem,
 3 felices, oculos qui tunc habuere, vocantur ?
 4 Felices, et qui non habuere, voco.

LUC. 7. 15. FILIUS E FERETRO MATRI REDDITUR.

E2_77 v.1 Ergone tam subita potuit vice flebilis horror
 2 in natalicia candidus ire toga ?
 3 Quos vidi, matris gemitus hos esse dolentis
 4 credideram ; gemitus parturientis erant.

MATTH, II. 25. IN SAECULI SAPIENTES.

E2_78 v.1 Ergone delicias facit, et sibi plaudit ab alto
 2 stultitia, ut velit hac ambitione peti ?
 3 Difficilisne adeo facta est, et seria tandem ?
 4 Ergo et in hanc etiam quis sapuisse potest ?
 5 Tantum erat, ut possit tibi doctior esse ruina ?
 6 Tanti igitur cerebri res, periisse, fuit ?
 7 Nil opus ingenio ; nihil hac opus Arte furoris :
 8 simplicius poteris scilicet esse miser.

LUC. 4. 29. IN JUDAEOS CHRISTUM PRAECIPITARE CONANTES.

E2_79 v.1 Dicite, quae tanta est sceleris fiducia vestri ?
 2 Quod nequiiit daemon, id voluisse scelus ?
 3 Quod nequiiit daemon scelus, id voluisse patrare !
 4 Hoc tentare ipsum daemona (credo) fuit.

REV. 12. 9. IN DRACONEM PRAECIPITEM.

E2_80 v.1 I frustra truculente ; tuas procul aurea rident
 2 astra minas, caelo jam bene tuta suo.
 3 Tune igitur caelum super ire atque astra parabas ?
 4 Ascensu tanto non opus ad barathrum.

LUC. I. BEATAE VIRGINI CREDENTI.

E2_81 v.1 Miraris (quid enim faceres ?) sed et haec quoque credis :
 2 haec uteri credis dulcia monstra tui.
 3 En fidei, Regina, tuae dignissima merces !
 4 Fida Dei fueras filia ; mater eris.

MARC. 12. LICETNE CAESARI CENSUM DARE ?

E2_82 v.1 Post tot Scribarum (Christe) in te proelia, tandem
 2 ipse venit Caesar : Caesar in arma venit.
 3 Pugnant terribiles non Caesaris ense, sed ense
 4 Caesare : quin Caesar vinceris ipse tamen.
 5 Hoc quoque tu conscribe tuis, Auguste, triumphis.
 6 Sic vinci dignus quis nisi Caesar erat ?

MATTH. 9. IN TIBICINES ET TURBAM TUMULTUANTEM CIRCA DEFUNCTAM.

E2_83 v.1 Vani, quid strepitis ? Nam, quamvis dormiat illa,
 2 non tamen e somno est sic revocanda suo.

3 Exspectat solos Christi sopor iste susurros :
4 dormit ; nec dormit omnibus illa tamen.

MATTH. 4. 19. PISCATORES VOCATI.

E2_84 v.1 Ludite jam pisces segura per aequora : pisces
2 nos quoque (sed varia sub ratione) sumus.
3 Non potuisse capi, vobis spes una salutis :
4 una salus nobis est, potuisse capi.

MARC. 12. DATE CAESARI.

E2_85 v.1 Cuncta Deo debentur : habet tamen et sua Caesar ;
2 nec minus inde Deo est, si sua Caesar habet.
3 Non minus inde Deo est, solio si caetera dantur
4 Caesareo, Caesar cum datur ipse Deo.

MATTH. 21. 7. DOMINUS ASINO VEHITUR.

E2_86 v.1 Ille igitur vilem te, te dignatur asellum,
2 o non vectura non bene digne tua ?
3 Heu quibus haud pugnat Christi patientia monstris ?
4 Hoc, quod sic fertur, hoc quoque ferre fuit.

LUC. 21. 27. VIDEBUNT FILIUM HOMINIS VENIENTEM IN NUBE.

E2_87 v.1 Immo veni : aérios (o Christe) accingere currus,
2 inque triumphali nube coruscus ades.
3 "Nubem" quaeris ? Erunt nostra (ah !) Suspiria nubes :
4 aut sol in nubem se dabit ipse tuam.

JOANN. 20. NISI DIGITUM IMMISERO, ETC.

E2_88 v.1 Impius ergo iterum clavos ? Iterum impius hastam ?
2 Et totum digitus triste revolvat opus ?
3 Tune igitur Christum (Thoma) quo vivere credas,
4 tu Christum faceres (ah truculente !) mori ?

ACT. 7. AD JUDAEOS MACTATORES S. STEPHANI.

E2_89 v.1 Quid datis (ah miseri !) saxis nolentibus iras ?
2 Quid nimis in tragicum praecipitatis opus ?
3 In mortem Stephani se dant invita : sed illi
4 occiso faciunt sponte sua tumulum.

SANCTO JOANNI, DILECTO DISCIPULO.

E2_90 v.1 Tu fruire ; augustoque sinu caput abde (quod o tum
2 nollet in aeterna se posuisse rosa)
3 tu fruire : et sacro dum te sic pectore portat,
4 o sat erit tergo me potuisse vehi.

MATTH. 2. IN LACTENTES MARTYRES.

E2_91 v.1 Vulnera natorum qui vidit, et ubera matrum,
 2 per pueros fluviis (ah !) simul ire suis ;
 3 sic pueros quisquis vidit, dubitavit, an illos
 4 lilia caelorum diceret, ane rosas.

MATTH. I. 23. DEUS NOBISCUM.

E2_92 v.1 Nobiscum Deus est ? Vestrum hoc est (hei mihi !) vestrum :
 2 vobiscum Deus est, o asini atque boves.
 3 Nobiscum non est : nam nos domus aurea sumit.
 4 Nobiscum Deus est, et jacet in stabulo ?
 5 Hoc igitur nostrum ut fiat (dulcissime Jesu)
 6 nos dandi stabulis, vel tibi danda domus.

CHRISTUS CIRCUMCISUS AD PATREM.

E2_93 v.1 Has en primitias nostrae (Pater) accipe mortis ;
 2 (vitam ex quo sumpsi, vivere dedidici)
 3 ira (Pater) tua de pluvia gustaverit ista :
 4 olim ibit fluviis hoc latus omne suis.
 5 Tunc sitiatur licet et sitiatur, bibet et bibet usque :
 6 tunc poterit toto fonte superba frui.
 7 Nunc hastae interea possit praeludere culter :
 8 indolis in poenas spes erit ista meae.

IN EPIPHANIAM DOMINI.

E2_94 v.1 Non solita contenta dies face lucis Eoae,
 2 ecce micat radiis caesariata novis.
 3 Persa sagax, propera : discurre per ardua Regum
 4 tecta, per auratas marmoreasque domus :
 5 quaere o, quae intepuit Reginae purpura partu ;
 6 principe vagitu qua domus insonuit.
 7 Audin Persa sagax ? Qui tanta negotia caelo
 8 fecit, Bethlemiis vagiit in stabulis.

LUC. 2. 49. ECCE QUAEREBAMUS TE, ETC.

E2_95 v.1 Te quaero misera, et quaero : tu nunc quoque tractas
 2 res Patris : Pater est unica cura tibi :
 3 quippe quod ad poenas tantum et tot nomina mortis,
 4 ad luctum et lacrimas (hei mihi !) mater ego.

JOANN. 2. AQUAE IN VINUM VERSAE.

E2_96 v.1 Unde rubor vestris, et non sua purpura lymphis ?
 2 Quae rosa mirantes tam nova mutat aquas ?
 3 Numen (convivae) praesens agnoscite Numen :
 4 nymphea pudica Deum vidit, et erubuit.

MATTH. 8. 13. ABSENTI CENTURIONIS FILIO DOMINUS ABSENS MEDETUR,

E2_97 v.1 Quam tacitis inopina salus illabitur alis !
 2 Alis, quas illi vox tua, Christe, dedit.
 3 Quam longas vox ista manus habet ! Haec medicina
 4 absens, et praesens haec medicina fuit.

MARC. 4. 40. QUID TIMIDI ESTIS ?

E2_98 v.1 Tamquam illi insanus faceret sua fulmina ventus !
 2 Tamquam illi scopulos norit habere fretum !
 3 Vos vestri scopuli, vos estis ventus et unda :
 4 naufragium cum illo qui metuit, meruit.

LUC. 2. NUNC DIMITTIS.

E2_99 v.1 Ite mei (quid enim ulterius, quid vultis ?) ocelli :
 2 leniter obductis ite superciliis.
 3 Immo et adhuc et adhuc, iterumque iterumque videte :
 4 accipite haec totis lumina luminibus.
 5 Jamque ite ; et tutis o vos bene claudite vallis :
 6 servate haec lotis lumina luminibus.
 7 Primum est, quod potui te (Christe) videre ; secundum,
 8 te viso, recta jam potuisse mori.

MATTH. 13. 24. IN SEGETEM SACRAM.

E2_100 v.1 Ecce suam implorat, demisso vertice, falcem :
 2 tu segeti falcem da (Pater alme) suam.
 3 Tu falcem non das ? Messem tu (Christe) moraris ?
 4 Hoc ipsum falx est : haec mora messis erit.

LUC. 7. 37. COEPIT LACRIMIS RIGARE PEDES EJUS, ET CAPILLIS EXTERGEBAT.

E2_101 v.1 Unda sacras sordes lambit placidissima : flavae
 2 lambit et hanc undam lucida flamma comae.
 3 Illa per has sordes it purior unda ; simulque
 4 ille per has lucet purior ignis aquas.

LUC. 18. 41. QUID VIS TIBI FACIAM ?

E2_102 v.1 Quid volo (Christe) rogas ? Quippe ah volo, Christe, videre :
 2 quippe ah te (dulcis Christe) videre volo.
 3 At video ; fideique oculis te nunc quoque figo :
 4 est mihi, quae numquam est non oculata, fides.
 5 Sed quamvis videam, tamen ah volo (Christe) videre :
 6 sed quoniam video (Christe) videre volo.

MATTH. 15. 21. CHRISTUS MULIERI CANAANEAE DIFFICILIOR.

E2_103 v.1 Ut pretium facias dono, donare recusas :
 2 usque rogat supplex, tu tamen usque negas.
 3 Hoc etiam donare fuit, donare negare.
 4 Saepe dedit, quisquis saepe negata dedit.

LUC. II. 27. BEATUS VENTER ET UBERA, ETC.

E2_104 v.1 Et quid si biberet Jesus vel ab ubere vestro ?
 2 Quid facit ad vestram, quod bibit ille, sitim ?
 3 Ubera mox sua et Hic (o quam non lactea !) pandet :
 4 e nato Mater tum bibet ipsa suo.

JOANN. 15. I. IN CHRISTUM VITEM.

E2_105 v.1 Ulmum vitis amat (quippe est et in arbore flamma,
 2 quam fovet in viridi pectore blandus amor :)
 3 illam ex arboribus cunctis tu (Vitis) amasti,
 4 illam, quacumque est, quae crucis arbor erat.

JOANN. 16. 20. VOS FLEBITIS ET LAMENTABIMINI.

E2_106 v.1 Ergo mihi salvete mei, mea gaudia, luctus :
 2 quam carum (o Deus) est hoc mihi flere meum !
 3 Flerem, ni flerem : Solus tu (dulcis Iesu)
 4 laetitiam donas tunc quoque quando negas.

JOANN. IO. IN GREGEM CHRISTI PASTORIS.

E2_107 v.1 O grex, o nimium tanto Pastore beatus !
 2 O ubi sunt tanto pascua digna grege ?
 3 Ne non digna forent tanto grege pascua, Christus
 4 ipse suo est Pastor, pascuum et ipse gregi.

IN VULNERA PENDENTIS DOMINI.

E2_108 v.1 Sive oculos, sive ora vocem tua vulnera ; certe
 2 undique sunt ora (heu !) undique sunt oculi.
 3 Ecce ora ! O nimium roseis florentia labris !
 4 Ecce oculi ! Saevis ah madidi lacrimis !
 5 Magdala, quae lacrimas solita es, quae basia sacro
 6 ferre pedi, sacro de pede sume vices.
 7 Ora pedi sua sunt, tua quo tibi basia reddat :
 8 quo reddat lacrimas scilicet est oculus.

MARC. 2. PARALYTICUS CONVALESCENS.

E2_109 v.1 Christum, quod misero facilis peccata remittit,
 2 scribae blasphemum dicere non dubitant.
 3 Hoc scelus ut primum Paralyticus audiit ; ira
 4 impatiens, lectum sustulit atque abiit.

JOANN. 8. 59. TUNC SUSTULERUNT LAPIDES.

E2_110 v.1 Saxa ? Illi ? Quid tam foedi voluere furores ?
 2 Quid sibi de saxis hi voluere suis ?
 3 Indolem, et antiqui agnosco vestigia patris :
 4 panem de saxis hi voluere suis.

IN RESURRECTIONEM DOMINI.

E2_111 v.1 Nasceris, en ! Tecumque tuus (Rex auree) mundus,
 2 tecum virgineo nascitur e tumulo.
 3 Tecum in natales properat natura secundos,
 4 atque novam vitam te novus orbis habet.
 5 Ex vita (Sol alme) tua vitam omnia sumunt :
 6 nil certe, nisi mors, cogitur inde mori.
 7 At certe neque mors : nempe ut queat illa sepulchro
 8 (Christe) tuo condi, mors volet ipsa mori.

MATTH, 28. 17. ALIQUI VERO DUBITABANT.

E2_112 v.1 Scilicet e tellus dubitat tremebunda : sed ipsum hoc,
 2 quod tellus dubitat, vos dubitare vetat.
 3 Ipsi custodes vobis, si quaeritis, illud
 4 hoc ipso dicunt, dicere quod nequeunt.

JOANN. 20. 20. IN VULNERUM VESTIGIA QUAE OSTENDIT DOMINUS, AD FIRMANDAM

E2_113 v.1 His oculis (nec adhuc clausis coiere fenestris)
 2 invigilans nobis est tuus usus amor.
 3 His oculis nos cernit amor tuus : his et amorem
 4 (Christe) tuum gaudet cernere nostra fides.

LUC. 7. 19. MITTIT JOANNES QUI QUAERANT A CHRISTO, AN IS SIT.

E2_114 v.1 Tu qui adeo impatiens properasti agnoscere Christum,
 2 tunc cum claustra uteri te tenere tui,
 3 tu, quis sit Christus, rogitas ? Et quaeris ab ipso ?
 4 Hoc tibi vel mutus dicere quisque potest.

JOANN. 18. 10. IN PETRUM AURICIDAM.

E2_115 v.1 Quantumcumque ferox tuus hic (Petre) fulminat ensis,
 2 tu tibi jam pugnas (o bone) non Domino.
 3 Scilicet in miseram furis implacidissimus aurem,
 4 perfidia testis ne queat esse tua.

MARC. 3. MANUS AREFACTA SANATUR.

E2_116 v.1 Felix ! Ergo tuae spectas natalia dextrae,
 2 quae modo spectanti flebile funus erat.

3 Qua nec in externos modo dextera profuit usus,
4 certe erit illa tuae jam manus et fidei.

MATT H. 27. 24. IN PONTIUM MALE LAUTUM.

E2_117 v.1 Illa manus lavat unda tuas, vanissime Judex :
2 ah tamen illa scelus non lavat unda tuum.
3 Nulla scelus lavet unda tuum ; vel si lavet ulla,
4 o volet ex oculis illa venire tuis.

MATTH. 17. 27. IN PISCEM DOTATUM.

E2_118 v.1 Tu piscem si, Christe, velis, venit ecce, suumque
2 fert pretium : tanti est vel periisse tibi.
3 Christe, foro tibi non opus est ; addicere nummos
4 non opus est : ipsum se tibi piscis emet.

JOANN. I6. 33. EGO VICI MUNDUM.

E2_119 v.1 Tu contra mundum dux es meus, optime Jesu ?
2 At tu (me miserum !) dux meus ipse jaces.
3 Si tu, dux meus, ipse jaces, spes ulla salutis ?
4 Immo, ni jaceas tu, mihi nulla salus.

IN ASCENSIONEM DOMINICAM.

E2_120 v.1 Vadit (io !) per aperta sui penetralia caeli :
2 it caelo, et caelum fundit ab ore novum.
3 Spargitur ante pedes, et toto sidere pronus
4 jam propius Solis Sol bibit ora sui.
5 At fratri debere negans sua lumina Phoebae,
6 aurea de Phoebae jam meliore redit.
7 Hos, de te victo, tu das (Pater) ipse triumphos :
8 unde triumphares, quis satis alter erat ?

JOANN. 3.16. IN DESCENSUM SPIRITUS SANCTI.

E2_121 v.1 Jam caeli circum tonuit fragor : arma, minasque
2 turbida cum flammis mixta ferebat hiems.
3 Exclamat Judaeus atrox : "Venit ecce nefandis,
4 ecce venit meriti fulminis ira memor."
5 Verum ubi composito sedit fax blandior astro,
6 flammaque non laesas lambit amica comas,
7 Judaeis, fulmen quia falsum apparuit esse,
8 hoc ipso verum nomine fulmen erat.

JOANN. 3. 16. SIC DILEXIT MUNDUM DEUS, UT FILIUM MORTI TRADERET.

E2_122 v.1 Ah nimis est, illum nostrae vel tradere vitae :
2 guttula quod faceret, cur facit oceanus ?
3 Unde et luxuriare potest, habet hinc mea vita :
4 ample et magnifice mors habet unde mori.

LUC. 14. 19. JUGA BOUM EMI.

E2_123 v.1 Ad cenam voco te (domini quod jussa volebant)
 2 tu mihi, nescio quos, dicis (inepte) boves.
 3 Imo vale, nobis nec digne nec utilis hospes !
 4 Cena tuos (credo) malit habere boves.

ACT.14. D. PAULUM, VERBO SANANTEM CLAUDUM, PRO MERCURIO LYSTRES ADORANT.

E2_124 v.1 Quis Tagus hic, quae Pactoli nova volvitur unda ?
 2 Non hominis vox est haec : Deus ille, Deus.
 3 Salve, mortales nimium dignate penates !
 4 Digna Deo soboles, digna tonante Deo !
 5 O salve ! quid enim (alme) tuos latuisse volebas ?
 6 Te dicit certe vel tua lingua Deum.
 7 Laudem hanc haud miror : meruit facundus haberi,
 8 qui claudo promptos suasit habere pedes.

IN S. COLUMBAM AD CHRISTI CAPUT SEDENTEM.

E2_125 v.1 Cui sacra siderea volucris suspenditur ala ?
 2 Hunc nive plus niveum cui dabit illa pedem ?
 3 Christe, tuo capiti totis se destinat auris,
 4 qua ludit densae blandior umbra comae.
 5 Illic arcano quid non tibi murmure narrat ?
 6 (Murmure mortales non imitante sonos)
 7 sola avis haec nido hoc non est indigna cubare :
 8 solus nidus hic est hac bene dignus ave.

ACT. 12. IN FORES DIVO PETRO SPONTE APERTAS.

E2_126 v.1 Quid juvit clausisse fores (bone janitor) istas ?
 2 Et Petro claves jam liquet esse suas.
 3 Dices, "Sponte patent" : Petri ergo hoc scilicet ipsum
 4 est clavis, Petro clave quod haud opus est.

LUC. 15. 2. MURMURABANT PHARISAEI, DICENTES, RECIPIT PECCATORES ...

E2_127 v.1 Ah male, quisquis is est, pereat ! Qui scilicet istis
 2 convivam (saevus !) non sinit esse suum.
 3 Istis cum Christus conviva adjungitur, istis
 4 o non conviva est Christus, at ipse cibus.

MATH. 15. IN TRABEM PHARISAICAM.

E2_128 v.1 Cedant, quae, rerum si quid tenue atque minutum est,
 2 posse acie certa figere, vitra dabunt.
 3 Artis opus mirae ! Pharisaeo en optica trabs est,
 4 ipsum (vera loquor) qua videt ille nihil.

JOANN.9.22. CONSTITUERUNT UT SI QUIS CONFITERETUR EUM ESSE CHRISTUM,

E2_129 v.1 Infelix, Christum reus es quicumque colendi !
 2 O reus infelix ! quam, tua culpa gravis !
 3 Tu summis igitur, summis damnabere caelis :
 4 o reus infelix ! quam tua poena gravis !

MATTH. 20. 20. DE VOTO FILIORUM ZEBEDAEI.

E2_130 v.1 Sit tibi (Joannes) tibi sit (Jacobe) quod optas :
 2 sit tibi dextra manus ; sit tibi laeva manus.
 3 Spero, alia in caelo est, et non incommoda, sedes :
 4 si neque laeva manus, si neque dextra manus.
 5 Caeli hanc aut illam nolo mihi quaerere partem :
 6 O, caelum, caelum da (Pater alme) mihi.

JOANN. 6. AD HOSPITES CENAE MIRACULOSAE QUINQUE PANUM.

E2_131 v.1 Vescere pane tuo : sed et (hospes) vescere Christo :
 2 est panis pani scilicet ille tuo.
 3 Tunc pane hoc Christi recte satur (hospes) abibis,
 4 panem ipsum Christum si magis esurias.

JOANN. I6. 33. DE CHRISTI CONTRA MUNDUM PUGNA.

E2_132 v.1 Tune, miser ? tu (Mundus ait) mea fulmina contra
 2 ferre manus, armis cum tibi nuda manus ?
 3 I lictor ; manibusque audacibus injice vincla :
 4 injecit lictor vincula, et arma dedit.

ACT. 9. 29. GRAECI DISPUTATORES DIVO PAULO MORTEM MACHINANTUR.

E2_133 v.1 Euge argumentum ! sic disputat : euge sophista !
 2 Sic pugnum Logices stringere, sic decuit.
 3 Hoc argumentum in causam quid (Graecule) dicit ?
 4 Dicit, te in causam dicere posse nihil.

LUC. 22. 26. QUI MAXIMUS EST INTER VOS, ESTO SICUT QUI MINIMUS.

E2_134 v.1 O bone, discipulus Christi vis maximus esse ?
 2 At vero fies hac ratione minor.
 3 Hoc sanctae ambitionis iter (mihi crede) tenendum est,
 4 haec ratio : Tu, ne sis minor, esse velis.

LUC. 19. 41. IN LACRYMANTEM DOMINUM.

E2_135 v.1 Vobis (Judaei) vobis haec volvitur unda ;
 2 quae vobis, quoniam spernitis, ignis erit.
 3 Eia faces (Romane) faces ! Seges illa furoris,
 4 non nisi ab his undis, ignea messis erit.

MATTH. 2. CHRISTUS IN AEGYPTO.

E2_136 v.1 Hunc tu (Nile) tuis majori flumine monstra :
 2 hunc (nimis ignotum) dic caput esse tibi.
 3 Jam tibi (Nile) tumes : jam te quoque multus inunda :
 4 ipse tuae jam sis laetitiae fluvius.

MATTH. 9. IN CAECOS CHRISTUM CONFITENTES, PHARISAEOS ABNEGANTES.

E2_137 v.1 Ne mihi, tu (Pharisaeae ferox) tua lumina jactes :
 2 en caecus ! Christum caecus at ille videt.
 3 Tu (Pharisaeae) nequis in Christo cernere Christum :
 4 ille videt caecus ; caecus es ipse videns.

MATTH. 16. 24. SI QUIS PONE ME VENIET, TOLLAT CRUCEM ET SEQUATUR ME.

E2_138 v.1 Ergo sequor, sequor en ! Quippe et mihi crux mea, Christe, est
 2 parva quidem ; sed quam non satis, ecce, rego.
 3 Non rego ? Non parvam hanc ? Ideo neque parva putanda est.
 4 Crux magna est, parvam non bene ferre crucem.

LUC. 5. 28. RELICTIS OMNIBUS SEQUUTUS EST EUM.

E2_139 v.1 Quas Matthaeus opes, ad Christi jussa, reliquit,
 2 tum primum vere coepit habere suas.
 3 Iste malarum est usus opum bonus, unicus iste ;
 4 esse malas homini, quas bene perdat, opes.

MATTH. 23. 29. AEDIFICATIS SEPULCHRA PROPHETARUM.

E2_140 v.1 Sanctorum in tumulis quid vult labor ille colendis ?
 2 Sanctorum mortem non sinit ille mori.
 3 Vane, Prophetarum quot ponis saxa sepulchris,
 4 tot testes lapidum, queis periere, facis.

MARC. 3. IN MANUM ARIDAM QUA CHRISTO MOTA EST MISERATIO.

E2_141 v.1 Prende (miser) Christum ; et cum Christo prende salutem :
 2 at manca est (dices) dextera : prende tamen.
 3 Ipsum hoc, in Christum, manus est : hoc prendere Christum est,
 4 qua Christum prendas, non habuisse manum.

AD D. LUCAM MEDICUM.

E2_142 v.1 Nulla mihi (Luca) de te medicamina posco,
 2 ipse licet medicus sis, licet aeger ego :
 3 quippe ego in exemplum fidei dum te mihi pono,
 4 Tu, medice, ipse mihi es tu medicina mea.

LUC. 14. 4. HYDROPICUS SANATUS, CHRISTUM JAM SITIENS.

E2_143 v.1 Pellitur inde sitis ; sed et hinc sitis altera surgit :
 2 hinc sitit ille magis, quo sitit inde minus.
 3 Felix, et mortem poterit qui temnere morbus !
 4 Cui vitae ex ipso fonte sititur aqua !

IN COETUM CAELESTEM OMNIUM SANCTORUM.

E2_144 v.1 Felices animae ! Quas caelo debita virtus
 2 jam potuit vestris inseruisse polis.
 3 Hoc dedit egregii non parcus sanguinis usus,
 4 spesque per obstantes exspatiata vias.
 5 O ver ! O longae semper seges aurea lucis !
 6 Nocte nec alterna dimidiata dies !
 7 O quae palma manu ridet ! Quae fronte corona !
 8 O nix virgineae non temeranda togae !
 9 Pacis innociduae vos illic ora videtis :
 10 vos Agni dulcis lumina : vos... Quid ago ?

MATTH. 8. 13. CHRISTUS ABSENTI MEDETUR.

E2_145 v.1 Vox jam missa suas potuit jam tangere metas ?
 2 O superi ! non hoc ire sed isse fuit.
 3 Miraclum fuit ipsa salus (bene credere possis)
 4 ipsum, miraclum est, quando salutis iter.

JOANN. 9. CAECUS NATUS.

E2_146 v.1 Felix, qui potuit tanta post nubila noctis
 2 (o dignum tanta nocte !) videre diem :
 3 felix ille oculus, felix utrimque putandus ;
 4 quod videt, et primum quod videt ille Deum.

MATTH. 9. ET RIDEBANT ILLUM.

E2_147 v.1 Luctibus in tantis, Christum ridere vacabat ?
 2 Vanior iste fuit risus, an iste dolor ?
 3 Luctibus in tantis hic vester risus, inepti,
 4 (credite mi) meruit maximus esse dolor.

MATTH. II. 25. IN SAPIENTIAM SECULI.

E2_148 v.1 Noli altum sapere (hoc veteres voluere magistri)
 2 ne retrahat lassos alta ruina gradus.
 3 Immo mihi dico, "Noli sapuisse profundum :
 4 non ego ad infernum me sapuisse velim."

IN STABULUM UBI NATUS EST DOMINUS.

E2_149 v.1 Illa domus stabulum ? Non est (Puer auree) non est :
 2 illa domus, qua tu nasceris, est stabulum ?

3 Illa domus toto domus est pulcherrima mundo ;
 4 vix caelo dici vult minor illa tuo.
 5 Cernis ut illa suo passim domus ardeat auro ?
 6 Cernis ut effusis rideat illa rosis ?
 7 Sive aurum non est, nec quae rosa rideat illic ;
 8 ex oculis facile est esse probare tuis.

ACT. 7. S. STEPHANUS AMICIS SUIS, FUNUS SIBI CURANTIBUS.

E2_150 v.1 Nulla (precor) busto surgant mihi marmora : bustum
 2 haec mihi sint mortis conscia saxa meae.
 3 Sic nec opus fuerit, notet ut quis carmine bustum,
 4 pro Domino (dicens) occidit ille suo.
 5 Hic mihi sit tumulus, quem mors dedit ipsa ; meique
 6 ipse hic martyrii sit mihi martyrium.

IN D. JOANNEM, QUEM DOMITIANUS FERVENTI OLEO (ILLASSUM) INDIDIT.

E2_151 v.1 Illum (qui, toto currens vaga flammula, mundo,
 2 non quidem Ioannes, ipse sed audit amor)
 3 illum ignem exstingui, bone Domitiane, laboras ?
 4 Hoc non est oleum, Domitiane, dare.

IN TENELLOS MARTYRES.

E2_152 v.1 Ah qui tam propero cecidit sic funere, vitae
 2 hoc habuit tantum, possit ut ille mori.
 3 At cujus Deus est sic usus funere, mortis
 4 hoc tantum, ut possit vivere semper, habet.

MATTH.4.24. ATTULERUNT EI OMNES MALE AFFECTOS, DAEMONIACOS, LUNATICOS...

E2_153 v.1 Collige te tibi (torve Draco) furiasque facesque,
 2 quasque vocant pestes nox Erebusque suas :
 3 fac colubros jam tota suos tua vibret Erinnyis ;
 4 collige, collige te fortiter, ut pereas.

LUC. 2. TUAM IPSIUS ANIMAM PERTRANSIBIT GLADIUS.

E2_154 v.1 Quando habeat gladium tua, Christe, tragoedia nullum,
 2 quis fuerit gladius. Virgo beata, tuus ?
 3 Namque nec ulla alias tibi sunt data vulnera, Virgo,
 4 quam quae a vulneribus sunt data, Christe, tuis.
 5 Forsan quando senex jam caligantior esset,
 6 quod Simeon gladium credidit, hasta fuit.
 7 Immo neque hasta fuit, neque clavus, sed neque spina :
 8 Hei mihi, spina tamen, clavus, et hasta fuit.
 9 Nam queiscumque malis tua, Christe, tragoedia crevit,
 10 omnia sunt gladius, Virgo beata, tuus.

IN SANGUINEM CIRCUMCISIONIS DOMINICAE. AD CONVIVAS, QUOS HAEC DIES...

E2_155 v.1 Heus conviva ! bibin' ? Maria haec, Mariaeque puellus,
 2 mittunt de prelo musta bibenda suo.
 3 Una quidem est (toti quae par tamen unica mundo)
 4 unica gutta, suo quae tremit orbiculo.
 5 O bibite hinc ; quale aut quantum vos cumque bibistis,
 6 (credite mi) nil tam suave bibistis adhuc.
 7 O bibite et bibite ; et restat tamen usque bibendum :
 8 restat, quod poterit nulla domare sitis.
 9 Scilicet hic, mensura sitis, mensura bibendi est :
 10 haec quantum cupias vina bibisse, bibis.

LUC. 2. PUER JESUS INTER DOCTORES.

E2_156 v.1 Fallitur, ad mentum qui pendit quemque profundum,
 2 ceu possint laeves nil sapuisse genae.
 3 Scilicet e barba male mensuratur Apollo ;
 4 et bene cum capitis stat nive, mentis hiems.
 5 Discat, et a tenero disci quoque posse magistro :
 6 canitiem capitis nec putet esse caput.

JOANN. 2. AD CHRISTUM, DE AQUA IN VINUM VERSA.

E2_157 v.1 Signa tuis tuus hostis habet contraria signis :
 2 in vinum tristes tu mihi vertis aquas.
 3 Ille autem e vino lacrimas et jurgia ducens,
 4 vina iterum in tristes (hei mihi !) mutat aquas.

LUC. 2. CHRISTUS INFANS PATRI SISTITUR IN TEMPLO.

E2_158 v.1 Agnus eat, ludatque (licet) sub patre petulco ;
 2 cumque sua longum conjugue turtur agat.
 3 Conciliatorem nihil hic opus ire per agnum
 4 nec tener ut volucris non sua fata ferat.
 5 Hactenus exigua haec, quasi munera, lusimus ; haec quae
 6 multum excusanti sunt capienda manu.
 7 Hoc Donum est ; de quo, toto tibi dicimus ore,
 8 sume Pater : meritis hoc tibi sume suis.
 9 Donum hac est, hoc est ; quod scilicet audeat ipso
 10 esse Deo dignum : scilicet ipse Deus.

MATTH. 8. LEPROSUS DOMINUM IMPLORANS.

E2_159 v.1 Credo quod ista potes, velles modo : sed quia credo,
 2 Christe, quod ista potes, credo quod ista voles.
 3 Tu modo, tu faciles mihi, Sol meus, exere vultus ;
 4 non poterit radios nix mea ferre tuos.

MATTH. 8. CHRISTUS IN TEMPESTATE.

E2_160 v.1 Quod fervet tanto circum te, Christe, tumultu,
 2 non hoc ira maris, Christe, sed ambitio est.

3 Haec illa ambitio est, hoc tanto te rogat ore,
4 possit ut ad monitus, Christe, tacere tuos.

ACT.I6.21. ANNUNCIANT RITUS, QUOS NON LICET NOBIS SUSCIPERE...

E2_161 v.1 Hoc Caesar tibi (Roma) tuus dedit, armaque ? Solis
2 Romanis igitur non licet esse piis ?
3 Ah, melius, tragicis nullus tibi Caesar in armis
4 altus anhelanti detonuisset equo ;
5 nec domini volucris facies horrenda per orbem
6 sueta tibi in signis torva venire tuis.
7 Quam miser ut staret de te tibi (Roma) triumphus,
8 ut tanta fieres ambitione nihil.
9 Non tibi, sed sceleri vincis : proh laurea tristis !
10 Laurea, Cerbereis aptior umbra comis !
11 Tam turpi vix ipse pater diademate Pluto,
12 vix sedet ipse suo tam niger in solio.
13 De tot Caesareis redit hoc tibi (Roma) triumphis :
14 Caesaree, aut (quod idem est) egregie misera es.

MATTH. 4. HIC LAPIS FIAT PANIS.

E2_162 v.1 Et fuit : ille lapis (quidni sit dicere ?) panis,
2 Christe, fuit : panis sed tuus ille fuit.
3 Quippe, Patris cum sic tulerit suprema voluntas,
4 est panis, panem non habuisse, tuus.

MATTH. I5. MULIER CANAANITIS.

E2_163 v.1 Quicquid Amazoniis dedit olim fama puellis,
2 credite : Amazoniam cernimus ecce fidem.
3 Femina, tam fortis fidei ? Jam credo fidem esse
4 plus quam grammaticae feminei generis.

LUC.II. DEUS, POST EXPULSUM DAEMONEM MUTUM, MALEDICIS JUDAEIS...

E2_164 v.1 Una paene opera duplicem tibi Daemona frangis :
2 iste quidem Daemon mutus ; at ille loquax.
3 Scilicet in laudes (qua non tibi laurea surgit ?)
4 non magis hic loquitur, quam tacet ille tuas.

JOANN. 6. DICEBANT, VERE HIC EST PROPHETA.

E2_165 v.1 Post tot quae videant, tot quae miracula tangant,
2 haec et quae gustant (Christe) dabas populo.
3 Jam Vates, Rex, et quicquid pia nomina possunt,
4 Christus erat : vellem dicere, venter erat.
5 Namque his, quicquid erat Christus, de ventre repleto
6 omne illud vero nomine venter erat.

JOANN .10.22. CHRISTUS AMBULABAT IN PORTICU SOLOMONIS, ET HIEMS ERAT.

E2_166 v.1 Bruma fuit ? Non, non : ah non fuit, ore sub isto ;
 2 si fuit, haud anni, nec sua bruma fuit.
 3 Bruma tibi vernis velit ire decentior horis,
 4 per sibi non natas exspatiata rosas.
 5 At, tibi ne possit se tam bene bruma negare,
 6 sola haec, quam vibrat gens tua, grando vetat.

MATTH. 28. DEDERUNT NUMMOS MILITIBUS.

E2_167 v.1 Ne miles velit ista loqui, tu munera donas ?
 2 Donas, quod possit, cum tacet ipse, loqui.
 3 Qua facis a quoquam, pretio suadente, taceri ;
 4 clarius, et dici turpius ista facis.

BEATAS VIRGINI. DE SALUTATIONE ANGELICA.

E2_168 v.1 "Chaire" suum neque Caesareus jam nuntiet ales ;
 2 "Chaire" tuum penna candidiore venit.
 3 Sed taceat, qui "Chaire" tuum quoque nuntiat, ales ;
 4 "Chaire" meum penna candidiore venit.
 5 Quis dicat mihi "Chaire" meum mage candidus auctor,
 6 quam tibi qui dicit candidus ille tuum ?
 7 Virgo, rogas, quid candidius quam candidus ille
 8 esse potest ? Virgo, quae rogat, esse potest.
 9 "Chaire" tuum (Virgo) donet tibi candidus ille ;
 10 donas candidior tu mihi "Chaire" meum.
 11 "Chaire" meum de "Caire" tuo quid differat, audi :
 12 ille tuum dicit, tu paris (ecce) meum.

PONTIO LAVANTI.

E2_169 v.1 Non satis est caedes, nisi stuprum hoc insuper addas,
 2 et tam virgineae sis violator aqua ?
 3 Nympha quidem pura haec et honesti filia fontis
 4 luget, adulterio jam temerata tuo.
 5 Casta verecundo properat cum murmure gutta,
 6 nec satis in lacrimam se putat esse suam.
 7 Desine tam nitidos stuprare (ah, desine) rores :
 8 aut dic, quae miseras unda lavabit aquas.

IN DIE PASSIONIS DOMINICAE.

E2_170 v.1 Tamne ego sim tetricus ? Valeant jejunia : vinum
 2 est mihi dulce meo (nec pudet esse) cado.
 3 Est mihi quod castis, neque prelum passa, racemis
 4 palmite virgineo protulit uva parens.
 5 Hoc mihi (ter denis sat enim maturuit annis)
 6 tandem ecce e dolio praebibit hasta suo
 7 jamque it ; et o quanto calet actus aromate torrens !
 8 Acer ut hinc aura divite currit odor !
 9 Quae rosa per cyathos volitat tam viva Falernos ?
 10 Massica quae tanto sidere vina tremunt ?

11 O ego nescibam ; atque ecce est Vinum illud amoris :
 12 unde ego sim tantis, unde ego par cyathis ?
 13 Vincor, et o istis totus prope misceor auris :
 14 non ego sum tantis, non ego par cyathis.
 15 Sed quid ego invicti metuo bona robora vini ?
 16 Ecce est, qua validum diluit, unda, merum.

IN DIE RESURRECTIONIS DOMINICAE. VENIT AD SEPULCHRUM MAGDALENA FERENS...

E2_171 v.1 Quin et tu quoque busta tui Phoenicis adora ;
 2 tu quoque fer tristes (mens mea) delicias.
 3 Si nec aromata sunt, nec quod tibi fragrat amomum ;
 4 (qualis Magdalina est messis odora manu)
 5 est quod aromatibus praestat, quod praestat amomo :
 6 haec tibi mollicula, hac gemmea lacrimula.
 7 Et lacrima est aliquid, neque frustra Magdala flevit :
 8 sentiit haec, lacrimas non nihil esse suas.
 9 His illa (et tunc cum Domini caput iret amomo)
 10 invidiam capitis fecerat esse pedes.
 11 Nunc quoque cum sinus huic tanto sub aromate sudet,
 12 plus capit ex oculis, quo litet, illa suis.
 13 Christe, decent lacrimae : decet isto rore rigari
 14 vitae hoc aeternum mane, tuumque diem.

LUC. 24. IN CICATRICES DOMINI ADHUC SUPERSTITES.

E2_172 v.1 Arma vides ; arcus, pharetramque, levesque sagittas,
 2 et quocumque fuit nomine miles Amor.
 3 His fuit usus Amor : sed et haec fuit ipse ; suumque
 4 et jaculum, et jaculis ipse pharetra suis.
 5 Nunc splendent tantum, et deterso pulvere belli
 6 e memori pendent nomina magna tholo.
 7 Tempus erit tamen, haec irae quando arma, pharetramque
 8 et sobolem pharetrae spicula tradet Amor.
 9 Heu ! Qua tunc anima, quo stabit conscia vultu,
 10 cum scelus agnosceret dextera quaeque suum ?
 11 Improbe, quae dederis, cernes ibi vulnera, miles,
 12 qua tibi cumque tuus luserit arte furor.
 13 Seu digito suadente tuo mala Laurus inibat
 14 temporibus, sacrum seu bibit hasta latus,
 15 sive tuo clavi saevum rubuere sub ictu ;
 16 seu puduit jussis ire flagella tuis.
 17 Improbe, quae dederis, cernes ibi vulnera, miles :
 18 quod dederis vulnus, cernere, vulnus erit.
 19 Plaga sui vindex clavosque rependet et hastam
 20 quique rependet, erit clavus et hasta sibi.
 21 Quis tam terribiles, tam justas moverit iras ?
 22 Vulnera pugnant (Christe) vel ipsa tibi.

JOANN. 14. PACEM MEAM DO VOBIS.

E2_173 v.1 Bella vocant : arma (o socii) nostra arma paremus
 2 atque enses, nostros scilicet (ah !) jugulos.
 3 Cur ego bella paro, cum Christus det mihi pacem ?
 4 Quod Christus pacem dat mihi, bella paro.

5 Ille dedit (nam quis potuit dare certior auctor ?)
6 Ille dedit pacem : sed dedit ille suam.

ACT. 9. IN D. PAULUM ILLUMINATUM SIMUL ET EXCAECATUM.

E2_174 v.1 Quae, Christe, ambigua haec bifidi tibi gloria teli est,
2 quod simul huic oculos abstulit, atque dedit ?
3 Sancta dies animi, hac oculorum in nocte, latebat ;
4 te ut possit Paulus cernere, caecus erat.

JOANN. 15. EGO SUM VIA. AD JUDAEOS SPRETORES CHRISTI.

E2_175 v.1 O sed nec calcanda tamen : pes improbe pergis ?
2 Improbe pes, ergo hoc caeli erat ire viam ?
3 Ah pereat (Judaeae ferox) pes improbus ille,
4 qui coeli tritam sic facit esse viam.

MATTH.2. IN NOCTURNUM ET HIEMALE ITER INFANTIS DOMINI.

E2_176 v.1 Ergo viatores teneros, cum Prole Parentem,
2 nox habet hos, queis est digna nec ulla dies ?
3 Nam quid ad haec Pueri vel labra, genasve Parentis ?
4 Heu quid ad haec facient oscula, nox et hiems ?
5 Lilia ad haec facerent, faceret rosa ; quicquid et halat
6 aeterna Zephyrus qui tepet in viola.
7 Hi meruere, quibus vel nox sit nulla ; vel ulla
8 si sit, eat nostra purius illa die.
9 Ecce sed hos quaque nox et hiems clausere tenellos :
10 et quis scit, quid nox, quid meditetur hiems ?
11 Ah ne quid meditetur hiems saevire per Austros !
12 Quaque solet nigros nox mala ferre metus !
13 Ah ne noctis eat currus non mollibus Euris !
14 Aspera ne tetricos nuntiet aura Notos !
15 Heu quot habent tenebrae, quot vera pericula secum !
16 Quot noctem dominam, quantaque monstra colunt !
17 Quot vaga quae falsis veniunt ludibria formis !
18 Trux oculus ! Stygio concolor ala Deo !
19 Seu veris ea, sive vagis stant monstra figuris ;
20 Virginei satis est hinc, satis inde metus.
21 Ergo veni ; totoque veni resonantior arcu,
22 (Cynthia) praegnantem clange procul pharetram.
23 Monstra vel ista, vel illa, tuis sint meta sagittis :
24 nec fratris jaculum certior aura vehat.
25 Ergo veni ; totoque veni flagrantior ore,
26 dignaque Apollineas sustinuisse vices.
27 Scis bene quid deceat Phoebi lucere sororem :
28 ex his, si nescis, (Cynthia) disce genus.
29 O tua, in his, quanto lampas formosior iret !
30 Nox suam, ab his, quanto malit habere diem !
31 Quantum ageret tacitos haec luna modestior ignes !
32 Atque verecundis sobria staret equis !
33 Luna, tuae non est rosa tam pudibunda diei :
34 nec tam virgineo fax tua flore tremit.
35 Ergo veni ; sed et astra, tuas age (Cynthia) turmas :
36 illa oculos pueri, quos imitentur, habent.

37 Hinc oculo, hinc astro ; at parili face nictat utrumque ;
 38 aetheris os, atque os aethereum Pueri.
 39 Aspice, quam bene res utriusque deceret utrumque !
 40 Quam bene in alternas mutua regna manus !
 41 Ille oculus caeli hoc si staret in aethere frontis ;
 42 sive astrum hoc Pueri, fronte sub aetherea.
 43 Si Pueri hoc astrum aetherea sub fronte micaret,
 44 credat et hunc oculum non minus esse suum.
 45 Ille oculus caeli, hoc si staret in aethere frontis,
 46 non minus in caelis se putet esse suis.
 47 Tam pulchras variare vices cum fronte Puelli,
 48 cumque Puelli oculis, aether et astra queant.
 49 Astra quidem vellent ; vellent aeterna pacisci
 50 foedera mutatae sedis inire vicem.
 51 Aether et ipse (licet numero tam dispere) vellet
 52 mutatis oculis tam bona pacta dari.
 53 Quippe iret caelum quanto melioribus astris,
 54 astra sua hos oculos si modo habere queat !
 55 Quippe astra in caelo quantum meliore micarent,
 56 si frontem hanc possint caelum habuisse suum.
 57 Aether et astra velint : frustra velit aether, et astra.
 58 Ecce negat Pueri frons, oculique negant.
 59 Ah neget illa, negent illi ! Nam quem aethera mallent
 60 isti oculi ? Aut frons haec quae magis astra velit ?
 61 Quid si aliquod blanda face lene renideat astrum ?
 62 Lactea si caeli terque quaterque via est ?
 63 Blandior hic oculus, roseo hoc qui ridet in ore ;
 64 lactea frons haec est terque quaterque magis.
 65 Ergo negent, caelumque suum sua sidera servent :
 66 sidera de caelis non bene danda suis.
 67 Ergo negant : seque ecce sua sub nube recondunt,
 68 sub tenera occidui nube supercilii ;
 69 nec claudi contenta sui munimine caeli,
 70 quaerunt in gremio Matris ubi lateant.
 71 Non nisi sic tactis ubi nix tepet illa pruinis,
 72 castaque non gelido frigore vernat hiems.
 73 Scilicet iste dies tam pulchro vespere tingi
 74 dignus ; et hos soles sic decet occidere.
 75 Claudat purpureus qui claudit vesper Olympum ;
 76 puniceo placeas tu tibi (Phoebe) toro ;
 77 dum tibi lascivam Thetis auget adultera noctem,
 78 pone per Hesperias strata pudenda rosas.
 79 Illas nempe rosas, quas conscia purpura pinxit ;
 80 culpa pudorque suus queis dedit esse rosas.
 81 Hos soles, niveae noctes, castumque cubile,
 82 quod purum sternit per mare virgo Thetis ;
 83 hos, sancti flores ; hos, tam sincera decebant
 84 lilia ; quaeque sibi non rubuere rosae.
 85 Hos, decuit sinus hic ; ubi toto sidere proni
 86 ecce lavant sese lacteo in oceano.
 87 Atque lavent, tandemque suo se mane resolvant,
 88 ipsa dies ex hoc ut bibat ore diem.

JOANN. 16. 26. NON DICO, ME ROGATURUM PATREM PRO VOBIS.

E2_177 v.1 Ah tamen Ipse roga tibi scilicet ille roganti
 2 esse nequit durus, nec solet esse, Pater.

3 Ille suos omni facie te figit amores,
 4 inque tuos toto effunditur ore sinus.
 5 Quippe, tuos spectans oculos, se spectat in illis ;
 6 inque tuo (Jesu) se fovet ipse sinu.
 7 Ex te metitur sese, et sua numina discit
 8 inde repercussus redditur ipse sibi.
 9 Ille tibi se, te ille sibi par nectit utrimque :
 10 tam tuus est, ut nec sit magis ille suos.
 11 Ergo roga. Ipse roga : tibi scilicet ille roganti
 12 esse nequit durus, nec solet esse, Pater.
 13 Illum ut ego rogitem ? Hoc (eheu) non ore rogandum ;
 14 ore satis puras non faciente preces.
 15 Illum ego si rogitem, quis scit quibus ille procellis
 16 surgat, et in miserum hoc quae tonet ira caput ?
 17 Isto etiam forsitan veniet mihi fulmen ab ore
 18 (saepe isto certe fulmen ab ore venit)
 19 ille una irati forsitan me cuspide verbi,
 20 uno me nutu figet, et interii :
 21 non ego, non rogitem. Mihi scilicet ille roganti
 22 durior esse potest, et solet esse, Pater.
 23 Immo rogabo, nec ore meo tamen ; immo rogabo
 24 ore meo (Jesu) scilicet ore tuo.

IN DIE ASCENSIONIS DOMINICAE.

E2_178 v.1 Usque etiam nostros Te (Christe) tenemus amores ?
 2 Heu caeli quantam hinc invidiam patimur !
 3 Invidiam patiamur : habent sua sidera caeli ;
 4 quaeque comunt tremulas crispa tot ora faces ;
 5 Phoebenque et Phoebum, et tot picta vellera nubis ;
 6 vellera, quae rosea Sol variavit acu.
 7 Quantum erat, ut sinerent hac una nos face ferri ?
 8 Una sit hic : sunt (et sint) ibi mille faces.
 9 Nil agimus : nam tu quia non ascendis ad illum,
 10 aether descendit (Christe) vel ipse tibi.
